

CANCELL.  
MARTIS B.  
1718.

XII. f. 32.

4M7. K. f. 34

~~3. f. D. 7.~~

XXVII. 9. a

16

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
**VERITATE CONVICII,**  
*Ad*  
**L. Eum qui nocentem 18. pr.**  
*ff. d. Injur.*  
QUAM  
FAVENTE SVMMO NVMINE  
Consentiente  
MAGNIFICO ICTORUM ORDINE  
IN  
**ILLUSTRI VIADRINA**  
PRÆSIDE  
**DN. JOACHIMO HOPPIO,**  
J. U. LIC.  
IN AUDITORIO ICTORUM  
ANNO. MDCLXXXI. D. MAJ.  
HORIS CONSVENTIS  
PLACIDÆ ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT,  
AUTOR  
**JOACHIMUS Klinggraff**  
CLEEZ. MARCH.

---

FRANCOFURTI AD VIADRUM,  
Typis CHRISTOPH. ANDREI ZEITLERI ACAD. TYPOGR. 1712.

DIPLOMATICA MURDICEA  
VERITATIS  
COPROMONI  
X. R. 16. 16. 16. 16. 16.  
MAGNUS COLOGNEUS OPTIMUS  
PATER PATRIAE  
D. IOACHIMO HOPPIO

J. N. J.

Eritis ex communi proverbio odium parit: Ea vero si in Judicio objiciatur, & certum crimen indigitetur, odii est plenissima. Via tamen est, qua plurimorum scelera revelantur, & revelata puniuntur; quod nisi fieret, quis tandem foret delictorum finis? Ut vero conatus impii restringuantur, tam Superiorum exigit dignitas, quam Reipublicæ jubet necessitas. Congruit enim iis, qui Rebuspublicis præsunt, curare ut pacatæ atque quietæ sint provinciæ, quas regunt, quod non difficile obtinebunt, si sollicite malos homines conquerant *L. Congruit 13. princ. ff. d. Offic. Pref.* Hoc vero felicius non evenit, quam si Magistratus Authoritas bonorum Civium fidelitate stipata sit; hanc ut declarare studeant Amor Reip. flagitat, & Magistratui debitus honor impellit; Cujus tunc præcipua edunt Testimonia, si delicta paucis nota, Magistratui revelant, & hoc ipso reos ad suplicium trahunt. Ad quod eo propensiores erunt, quo majus malum ex non revelatis peccatis oriturum sciunt. Quod cum revelatione delictorum averti possit, hanc materiam de *Veritate Convicci* elaborandam sumsi, brevibus demonstraturus ubi & quando verum convicium objicere impune liceat, & quando objiciens injuriarum teneatur, vituperioque dignus fit. Cujus materiæ sedem cum deprehendam iu *L. Eum qui nocentem 18. princ. ff. de Injur.* hac Methodi Lege utar: primo Sensum *L.* deinde rationem, post Usum, & Consectaria distinctis membris, ea qua licebit brevitate proponam; in antecessum vero verba d. I. apposuisse operæ pretium duxi.

*PAVLVS Lib. LV. ad Edictum.*

**E**Um, qui nocentem infamavit, non esse bonum æquum, ob eam rem condemnari? Peccata enim nocentium nota esse & oportere & expedire.

*MEMBRVM I.*  
DE  
**SENSU LEGIS,**

## I.

*Expositio  
Verborum  
Legis.*



*Vox Con-  
vici un-  
de dica-  
tur.*

Ntequam vero ad ea, quæ alias in genere Legibus explicandis solent præmitti, me accingam, paucis prius, quid quoad verba inscriptionis nostræ notatu dignum occurrat, videbo. Et quidem quantum ad vocabulum Veritatis, cum satis expeditum, illud a *Vero* derivari, in eo me non detinebo; duntaxat unde *Convicuum* originem trahat quidve notet, paucis indagaturus. Ad id enim me invitat hac in re Antecessor Ulpianus in L. item apud Labeonem 15. S. 4. ff. de Injur. Quamvis vero non omnes ex Criticis parem cum JCto nostro amplectantur sententiam, sed alii cum Laurent. Vall. d. Latin. Lingv. L. 9. c. 52. ( quem infestum JCtorum dignitati censem vocat Forner. ad L. 43. ff. d. V. S.) à *Vito* aut potius à *vito* deducere malint; alii vero à *Vicis*, in quibus habitarunt Veteres, uti Non. Marcell. C. 1. n. 373. JCti tamen originationem, quæ est a *voce*, quasi *convocium*. d. L. 15. hic præferendam, veritati puto conformius. Quod enim a *vito* non possit derivari ipsa

### DE SENSI LEGIS.

ipsa quantitas Syllabæ detegit, quæ enim in Vitio brevis est in convicio longa deprehenditur: a Convito autem quis convitum deduxerit, cum sit verbum barbarum & imperite innovatum? Veteres quidem partem corruptam in ædificio dixerunt vitium; plures vero partes in ruinam proclives Convitum, uti legere est apud Scalig. in Catalect. verum inter hoc convitum & illud convicium, quod ut plurimum usu venit, quantum discriminem? Remanet igitur ut antea relatam prudentissimi Ulpiani, quemadmodum in L. II. G. de Quest. audit, probemus derivationem cum Hillig. ad Donell. Encl. L. 15. C. 24. lit. C. vel quod plures conviantes vocem in unum conferant, attollant & simul inclament Dn. Brunneum. ad d. L. 5. n. 2. cuius exemplum est in Plauti Pseudol. Ael. I. scen. 3. vel etiam quod unus aliquis plures voces ingeminet, & ita assidue clamet; Ut adeo convitum proprie nihil aliud sit, quam clamosa efflagitatio; quæ strepitu quodam & vocum fit multitidine, quo ita in populi notitiam perveniat, seu populus tali convicio concitetur. Inde ο' γλαγών Græcitranslatores Romani Juris convicium appellare voluerunt. Joh. Leunclav. Synops. βασιλικῶν Lib. 60. Tit. 21. cap. 15

II. Non vero in malam tantum partem capitur hoc Quot verbum, denotatque contumelias ac probra, quibus maligni modis ac homines pessimo exemplo, vehementi haud raro clamore & cipiatur? invicem proscindere solent, sed etiam bonam contentionem recipit significationem. Ita Ciceron dicit: Deturbatus est meo justissimo convicio, & in Epi. Meo justissimo ac honestissimo convicio, te tuam dignitatem summa tua virtute vehementer gaudeo. Alia loca ex aliis addere possem, nisi ad ulteriora nobis esset properandum. Quamvis nec necessum aliunde petere, cuius evidentissimum Testimonium in Jure nostro reperitur: ita enim Prætor l. 15. §. 2. ff. d. Injur. ait. Qui adversus bonos mores convicium fecisse dicetur in eum judicium dabo, quod non alio fine additum videtur, quam ut dubium ancipitis verbi convicci sc. tolleretur, Conf. d. L. 15. §. 5.

6  
MEMBRUM I.

Quomo-  
do hic ve-  
niat,

Author  
Legis.

III. Et hoc non solum ad prius assertam derivationem stabilendam notasse prodest, sed quoque ad Inscriptionem nostram defendendam. Nam & nobis hic non solum de eo genere convicii agendum, quod injuriam redolet, & ad infamiam alicujus principaliter spectat, qualiter supponitur convicium in L. 8. ff. de appellat. l. 42. ff. de Injur. ubi convicium facientes judici infamia notantur & L. si non convicii s. C. d. Injur. Sed etiam de eo, si convicium fiat honeste, ad Reip. salutem promoyendam, uti casus est in Nostra L. de quo infra pluribus, vel si ad sui defensionem aut quia a Judice quia ut teflis interrogatus de alterius fama, de quo Mev. P. 4. Dec. 20. Sic enim cum nihil bonis moribus adversum committatur, nec fama alterius directo petatur, bonum quoque non erit aut eqvum, ob eam rem quemquam condemnari. d. L. Eum qui nocentem. Quæomnia cum in sequentibus prolixius simus exhibituri, ad illa nunc descendimus.

IV. Ut vero ab Auctore Legis nostræ PAULLO se ordijamur, cuius prænomen fuit Julius, ut apparer ex L. 81. ff. d. Condit. & demonstrat. & L. 22. ff. ad l. Falcid. multa quidem in gloriam ac Encomium ejus adducere, cum passim prudentia sua reliquerit testimonia, haud opus judico. Magna eum Juris Civilis scientia prædictum fuisse, cum scripta ipsius. tum de eo Imperatorum ac Auctorum Amplissima Testimonia fidem faciunt. Tot enim in Jure Civili scripta eaque variis generis emisit, ut facile in eo genere superiores omnes, ipsum quoque Ulpianum vicerit, vid. Nicol. Henel. Comment. d. Veter. JCts cap. 29. hinc Politianus illum non immerito πολυγραφότερον ob multitudinem librorum decidit, testante Georg. Eberlin. d. Orig. Jur. cap. 52. n. 22. ubi in seqq. fusi Catalogum librorum Pauli exhibit. Testimonia vero tot de eo, tantaque adsunt, ut illis obviare velle Sacrilegii instar sit. L. Sacrilegii s. C. de divers. Rescript. Ipse enim Justinianus Imperator eum prudentissimum nominat in Constat. ad Antecess. d. rat. trad. Jur. s. sed quia solitum s. Idem faciunt Cordianus in L. 6. C. de Nupt. & Diocletianus ac Maximianus in L. 1. C. ad L. Cornel. d. Fals. Lamprid. in Alex. Sever. Jurisperitissi.

## DE SENSI LEGIS.

7

tissimum appellat, & inscriptio, quam adhuc hodie imago eius Patavii, fuit enim Patavintus, in foribus palatii exhibet, haec inter cetera habet: *Cuius sapientiam tanti fecit Justinianus Imperator, ut nulla civilis juris particula hujus Legibus non decoretur. &c.* Hac sua prudentia efficit, ut a Septimio Severo Imperatore Secretioris consilii minister eligeretur; Heliodabulus vero virtutibus ejus infensus, ab aula cum removit, & quod decreta sua non probaret, gloriam eius atterere ausus est; revocatus tamen ab Alexandro Severo, per multis annos ipsi fuit a consiliis vid. Joh. Bertrand. *Tract. de Vito. & Ctor. in vita Pauli.* Quamvis vero Bertrand. d. l. afferat Leges Pauli tam obscuras ac verborum tenebris involutas esse, ut interpres egeat interprete, & fors ipsa ad fortis reffenda sit; hoc tamen si verum, de paucissimis saltem nec de omnibus intelligendum. Nostra siquidem Lex, modo verba ipsa penitus considerentur, satis clara est & perspicua, ut adeo ulteriori ei explicationem addere fere supervacuum.

V. Desumita autem est ex Libr. 55. ad Edictum. Edide-  
rat enim Paulus septuaginta & octo secundum *Cujac.* secun-  
dum alias vero octuaginta libros, quibus edictum perpetu-  
um interpretabatur. Ex quibus omnibus Léges Corpori  
Juri sunt inserta, quas singulas usque ad Libr. 78. exhibet  
Georg. Eberlin d. l. & ad eas usque ad Libr 71. inclusive com-  
mentatus est acutissimus Jctus Jacob. Cujacius. Præsup-  
posito enim, quod 80. exsisterint libri, ex posterioribus tamen  
duobus nihil à Compilatoribus in Pandectas fuit relatum.  
Coeterum quodnam fuerit Edictum perpetuum, cuius ordinem  
in compositione Digestorum fere secuti sunt compilatores,  
uti patet ex L. 2. ff. de Stat. hom. aliisque, illud aliunde pote-  
tit peti, conf. Dn. Stryk, in *Præcogn. Jur. t. 1. §. 22.*

VI. Quod nunc attinet ipsum Legis nostræ Textum Divisio  
ejusque potissimum principium, utpote quod tantum occa-  
sione Incriptionis nostræ explicandum suscepit, commode in  
tres dividitur partes, quarum prima continet subjectum, se-  
unda *predicatum*, tertia *rationem*.

VII. Quantum ad subjectum, illud priora Legis verba

im

## MEMBRUM I.

8 in fronte exhibent : EUM QUI NOCENTEM INFAMAVIT. Ubi pri-  
mō notandum NOCENTEM in genere dici illum , qui utut  
revera talis non sit , ex opinione tamen hominum habetur :  
quales sunt omnes illi, quorum quidem nullum turpe factum,  
ex judicio tamen hominum levi aliqua macula sunt notati  
quos vid. apud Hahn. ad Wesenb. tit. d. his qui not. infam. n. 2.  
Nam & his convenit Legis nostræ ratio, ut adeò sub ejus quo-  
que comprehendantur dispositione arg. L. Adigere 6. S. 2. ff. d.  
*Jur. Patron.* In specie vero & proprie nocens dicitur ille,  
qui delictum aliquod Legibus prohibitum, quo Reip. erat no-  
citur & damnum illatum , commisit , sive quem admisimus  
Crimen nocentem fecit ideoque Legibus obnoxium Anton.  
Matthæi Comment. d. Crimin. ad ff. lib. 47. tit. 4. c. 1. n. 7. Ver-  
bo: quem Reum alias certi alicujus delicti dicere solemus in  
Criminalibus , illum hic nocentem dicimus. Quamvis igit-  
ur revera quis non fuerit de delicto, cuius incusatus, convi-  
ctus, si tamen ob varia contra se indicia sit infamatus , si ju-  
stam Præbuit de se suspicandi causam, ideoque reus fuerit per-  
actus, nocens erit, & sic dispositio hujus Legis ei adaptabitur  
, de quo plur. infra. Ita si præter communem famam,  
quod v. g. aliquis furti, veneficii, vel alias detestandi Crimi-  
nis sit reus, probabiles adsint conjecturæ, & de ejusmodi ma-  
leficio quis legitime diffamatus , non omnino poterit inno-  
cens dici. Imputet enim sibi, quod turpisima sua vita fa-  
mæ causam dederit, quod initio ei non obstiterit. Modo uti  
dixi certo fundamento fama innitatur. Dn. Stryk. in Trad.  
d. Jur. Sens. diff. 3. c. 4. n. pen. Nam solus clamor vulgi per-  
versissime haud raro judicantis, aut inique aliquid alicui af-  
fingentis absque justa suspicionis causa, neminem poterit red-  
dere nocentem. L. fin. C. d. Accusat. & c. Sexta Actione 1. caus.  
15. qv. 7. Multo minus si quis ab uno vel altero solūm inju-  
riis affectus , ideo nocens dicendus, alioquin enim quis inno-  
cens? cum nemo fere optimorum sit, cuius increascenti famæ  
non petulans insultet Lingua, eique maculam aliquam impin-  
get. Conf. Membr. 3.

Nocens  
quis di-  
catur.

An ille  
qui indi-  
ciis gra-  
vatus?

VIII.Du



## DE SENSU LEGIS.

VIII. Durare tamen delictum debet, ob quod aliquis *Quomodo* nocens dicitur, vel indicia aut macula superesse debent. Si *do quis* enim vel indicia purgata, vel macula aut delictum sublatum, *definat* quod variis modis contingere potest, cessat causa ob quam *effe no-* quis nocens fiebat Legibusque obnoxius; ab infamacione ergo *cens*. consequenter abstinendum, uti pluribus docebitur *Membr. 3.* Nec enim tunc Reip. expedit, quæ semel sumpit, rescrire, nisi forsitan nova essent nunc demum emergentia indicia aut novum delictum vel turpe factum, nam sic iterum, si ut nocens infametur, æquum non esset ob eam rem infamantem condemnari.

IX. Sequitur nunc verbum *INFAMARE*, ob cuius ambiti *Verbi in-* guitatem non omnes eundem ex hac Lege eliciunt sensum, famare Denotat vero sèpissime idem, quod ob convincandi libidinem significatur injuria aliquem proscindere, ut plurimum vero simpliciter *no com-* famæ lassionem infert ac idem est, ac pudorem alicujus fugitiva & gillare. Et ita quoque in h. l. venit: eo enim ipso, dum non proprias delicta deteguntur, utut justo modo fiat, fama tamen ejus quadantenus minuitur. Ut igitur JCtus hac potius quam alia voluit voce, quò ita & famæ lassionem, quæ revelatione delicti manet delinquentem, & manifestationem, quam Reip. salus, suprema Lex approbat, eo commodius exprimeret; Quod nescio, an ullo alio verbo fieri potuisset melius, modo indolem ejus accuratius pensaverimus. Ut adeo breviter *infamare* idem sit, quod justo modo divulgare, & ita divulgando existimationem alicujus, præter intentionem tamen, la- ccessere. Conf. Mev. p. 3. Dec. 357. n. 2.

X. Et hanc explicationem satis confirmant verba, quæ *Quapro-* rationem Legis nostræ continent. Primo enim dicitur *PEC- batur ex* CATA. i. e. delicta, quæ si non ex eorum numero sunt, quæ ipsam *verbis* Juris infamiam irrogant, quæ vid. in L. *Infamem 7. ff. d. Publ. Legis no-* *Jud.* tamen tanquam turpe factum nunquam non alicujus *fra.* opinionem gravare solent: Non ergo hic fama nocentis offenditur ex intentione infamantis, quippe qui ex justa ratione, non prava mente ad delicti revelationem movetur, sed ex

ipso delicto quod ita comparatum est, ut non possit non nocentis onerare famam. Deinde dicitur NOTA esse talia peccata expedire i. e. oportere manifestari, propalar & divulgari Reip. cuius interest, eorum statuere poenam. Utrumque uti dictum, comprehendere voluit JCTus sub vocabulo *infamare* quemadmodum haud obscure quoque indicant Libri *Priscianus* lib. 60. tit. 2. L. 18. ideo relati à Dn. Struvio in *Synagm. Jur. Civ. Exerc.* 48. ib. 55. in fin. & insuper facit, quod de verbo *Famare* notat Carol. du Fresne in *Glossar. ad Scriptor. Med. & infim. latinis*: quod usurpatum sit pro eo, quod est *fama vulgare*; Alioquin nec digna aliqua ratio dubitandi ex cogitari posset, quæ huic Legi conveniret, nec aptè satis ratio fuisset apposita decendi, cum non de *injuria* inferenda, sed de peccatis sive Criminibus manifestandis loquatur. Treutler. Vol. poster. Diff. 30. tb. 5.

*Verbo.*  
*Conde-*  
*mnarire-*  
*spexit*  
*JCTus ad*  
*form. A-*  
*ction. in-*  
*juriar.*

*Expositio*  
*verborum*  
*in quibus*  
*ratio Le-*  
*git.*

XI. Progediuntur ad L. nostra prædicatum, quod in his verbis consistit: NON ESSE BONUM & EQUUM, OB EAM REM CONDEMNARI, quæ omnia ut clara, non indigent explanatione. Scendum tamen, JCTum sis respexisse ad Actionem injuriarum, ejusque formulam. Sicut enim aliarum Actionum, ita quoque illius, quæ ad *injurias* competebat vindicandas certæ erant formulæ, quas hinc inde exhibet Barnab. Brisson. *Tradit. Formul. & Solenn. Pop. Rom. verb.* Hinc in L. 17. §. 2. ff. d. *Injur.* dicitur, dandam esse injuriarum Actionem in quantum ob eam rem æquum judici videbitur: & in L. 34. pr. ff. d. O. & A. cessare dicitur, postquam desit bonum & æquum esse: Est enim, ut ait Ulpianus in L. 11. §. 1. ff. d. *Injur.* hæc Actio ex bono & æquo Jacob. Cujac. ad *Libr. 55. Pauli ad b. 1.* Et si nullibi, certè in hac Actione concedenda æquitas erat consideranda, quam ubi in infamatione nocentis adesse animadvertebat Paulus, rectissime, ob eam posse condemnationem fieri, negabat.

XII. Tertia pars Legis, ratio sc. his verbis exhibetur: PECCATA ENIM NOCENTIUM NOTA ESSE & OPORTERE & EXPEDIRE. Huj<sup>o</sup> priora verba satis antea explicata. In posterioribus vislatitat

## DE SENSI LEGIS.

II

tat totius decisionis, quæ consistit in utilitate & necessitate.  
Necessitatem significat primum verbum *oportere*: Utilitatem  
alterum scil. *expedire*. Quæ omnia eum quotidiana sint, & ubi-  
que in jure nostro hoc sensu obveniant, speciatim etiam mem-  
bro sequenti exponentur, illis diutius non immoror.

XIII. Hinc igitur terminis bene intellectis, verus & ge- *Sensus*  
quinus manat proposita nostræ Legis sensus, qui hic erit: Il- *Legis.*  
le, qui Criminis cujusdam veri Authorem, antea obscurum &  
incertum, aut certum quidem aliquibus, non tamen Judici,  
vel qui macula aliqua notatum ostendit, indicat & citra in-  
juriandi animum, justo modo manifestum facit, condemnari  
ob hanc manifestationem actione injuriarum non debet,  
quantumvis id, quod indicatum est, convicium ad contume-  
liam ejus, de quo profertur, spendet. Delicta enim s. turpia  
facta revelari, & necessarium est & utile. Quod ut brevius  
adhuc comprehendam, dico: Qui turpe aliquod factum, ve-  
rum tamen, justo loco & bona mente objicit, injuriarum non  
tenetur.

XIV. Esto itaque, quod Titius iter faciens Wratisla- *Causa Legis.*  
viam ibidem audiverit, Cajum ob furtum aliquod accusatum  
ac fere convictum, custodiā evasisse. Nunc ubi post la-  
psum aliquot mensium huc revertitur, Cajum non solum extra  
omnem metum constitutum hic conspicit, sed & ambire di-  
gnitatem Consularem percipit. Quo circa Titius, ne Ca-  
jus quod petit obtineat, in continent Principem adit, & Ca-  
jum furti reum infamat, esto inquam, hæc ita vere obtigisse,  
numne Cajus ob hanc infamacionem poterit Titium injuriarum  
convenire? Hoc profecto minus foret ex usu Reip.  
Quapropter relegandus potius Cajus ad nostram Legem esset,  
quo inde quod antea dixi peteret: Injuriarum sc. Titium  
minime teneri. Quod decisum ne iniquitatibus contra ex-  
pressa verba Legis arguat, rationes audiat, quæ constituent  
*Dunc.*

MEMBRUM II.  
DE  
RATIONE LEGIS.

*Occasio  
Legis.*

*Ejus ratio  
consistit.  
in nece-  
ssitate.*

*& Utili-  
tate.*

**S**anciendæ huic Legi procul dubio occasionem dedit optima verum Crimen objicientium intentio, quam in peccatum velle rapere partem, & quum & bonum non videbatur. Intentionem hanc adminiculabatur tum necessitas tum quoq; utilitas: Oportet enim pariter ac expedit peccata nocentium esse nota. Utrumque per se sufficiens est, ob quod interdum a Regulis Juris Communis recedamus arg L. 2. C. d. Patr. qui fil. distrax. & c. 28. d. R. 7. in oto. quidni & hoc casu, ubi bonus accedit revelantis animus.

**I.** Consistit vero necessitas, quæ hic supponitur, non in eo, ut quis præcisè ad delicta manifestanda obligetur: ad hoc enim Jus Civile neminem adstringit tot. tit. C. ut nem. in vit. ag. & L. 48. §. 1. ff. d. Furt. quoad conscientiam vero videbri poterunt Johann. Valer. in Differ. ur. for. sub voce Denunciatio differ. 2. & 3. Charis. in Disput. Inaug. de for. Consc. cap. 6. n. 159. seqq. aliquæ Moralistarum: sed respicitur potius ad delicta punienda, quatenus Resp. consistere non potest nisi horum debita poena exigatur, & quod in ejus corpore pestiferum invenitur, amputetur, hacque ratione ira divina, ob non vindicata scelera lacessita, removeatur.

**II.** Utilitas autem in hoc fundatur, quod animadversione peccatorum, tam bonorum securitati consulatur, quam frivolis hominibus metus injiciatur. Card. Tusch. Præcl. Concl. Tom. 2. Concl. 157. n. 1. & 4. Signor. Conf. 242. in fin. sicut enim maleficia fieri malum est, propter exemplum aliorum. I. 3. §. 2. ff. ad L. Corn. d. Sicar. Ita poenas malevolis infligi bonum propter exemplum, quod poena unius sit metus aliorum. Bartol. in Extravag. Qui sunt rebelles verb. transit. quia mali oderunt peccare formidine poenæ arg. L. 1. ff. d. I. & I.

IV. Hac

## DE RATIONE LEGIS.

13

**IV.** Hac ratione cum infamatio, quæ honestum intendit finem, & necessaria sit & utilis Reip., haud raro quoque <sup>infamans</sup> insigniter promoteat commodum privatum, illudque conservet, non tenevit, non poterit judex quemquam salva justitia ob eam contetur, demnare.

**V.** Nec enim movere cumpoterit, quod (1.) ex L. 15. §. 2. Obj. (1.) L. ff. de Injur. objicitur, quod omnis qui adversus bonos mores convicium alicui fecerit, iudicio injuriarum teneatur. Nam hoc, ut ipse Contextus habet, obtinet, si contra bonos mores <sup>15. §. 2. ff.</sup> d. Injur. <sup>Respond.</sup> <sup>injuria illata animo cavillandi, ex privata potissimum via.</sup> dicta, quo calu justum, ut non solum injuriarum condemnentur injuriantes, sed extraordinariis insuper poenis subdantur mentientes L. fin. in med. C. d. Accusat. & L. 3. C. d. bis qui accus. non poss. Ast hoc in illo, qui legitime verum Crimen obiecit, locum non habet, quis enim tale convicium contra bonos mores diceret, cum bonorum civium officium efflagitet nocentes infamare?

**VI.** Pariter nec (2.) hoc attendendum, quod calumniā referre videatur accusatio, qua sit ex indiciis, de qua quod in priori membr. ib. 7. dixi, & odiosum sit infringere alicujus fortunam, revelando alio in loco commissum maleficium, adeo sit. (1.) que ut poenale merito restringendum, juxta c. Odia 15. d. R. 7. calumniā in 610. cum præterea Injustum, sopita quasi & per oblivio osa. nem deleta delicta revocare & ad Judicem deferre, quois qui 2.) odiosa ad meliorem forte frugem reddit poenæ subjiciatur, in primis 3.) injusta. cum deferens ex denuntiatione illa nihil consequatur commodi, & exceptione quod ejus non inter sit, possit repelli. E. Resp. ad 1. nim vero quod primum attinet, non utique qui non probat, quod intendit, protinus calumniari videtur, quippe probatio sepe deficit, ubi jus non deficit L. Duo sunt Titii 30. ff. d. Test. tu. Nam requirendum erit, qua mente quis ad accusationem processerit, quibusve indiciis, quæ si justa fuerint, omnino infamans absolvendus, uti ad verbum fere decidit Marcian. in L. i. §. 3. ff. ad SC. Turpili. Deinde utut odiosa, imo iurio ad 2. sa sit hæc criminis propalatio, hoc tamen respectu saltem il-

B 3

lorum

## MEMBRUM II.

14  
*ad 3.*  
 lorum, qui deliquerunt, quatenus horum fama suggillatur, & ipsi debitis poenis subjiciuntur; Respectu vero Reip. maxime favorable est, delicta puniri *L. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil. Bartol. in L. illud. 19. C. d. SS. Ecc. Gloss. in L. 2. C. d. in jus voc. Bartol. in L. 7. Col. 2. C. d. Agric. & Censit.* Imo iustitia magis convenit commissa delicta vindicare quam impunitis connivere. Nec poterit exceptione cessantis interesse repellit infamans, quoniam quatenus Reip. interest, ne is qui furtum commisit, gubernaculis Reip. admovereatur, eatenus quoque interesse subest deferentis Zool. *ad ff. tit. d. Iust. & Jur. n. 21.* Reip. enim si bene est, civibus male esse nequit D. Stryk. *in Annot. ad Inst. §. 4. d. I. & I.* Interest autem, ut graves viri praesent publico, qui malis purgent Remp. *L. Congruit 13. ff. d. offic. pref.* Quia ratione vero purgabunt, aut quo modo reprehendent vitia, quae quondam in se probarunt? *L. Viro 39. & L. cum mulier 47. ff. solut. marim. præprimis cum semel malus, semper in eodem genere malus præsumatur e.g. d. R. I. in 6. B. Brunnem. Comment. ad Reg. Jur. Canon. d. c. qui prope diem cum Jure Eccles. lucem videbit. Felin. ad C. scribam g. d. præsumpt. num. 3. in fin.*

Obj. (3.)  
 quod in-  
 famare  
 compre-  
 bendat  
 animum  
 injuri-  
 andi.

VII. Præter hæc nec (3) verbum INFAMARE, si recte fuerit intellectum, quemquam in contrarium rapiet; Quamvis enim communiter de eo accipiatur, qui animum injuriandi habuit unde etiamsi prava concurrat intentio verum Crimen objicientis, hunc tamen injuriarum non condemnandum ex hoc loco sustinent Harprecht. *ad §. injuria autem 1. f. d. Injur. n. 10. Fachin. Controv. Jur. libr. 9. cap. 10.* Ant. Matthæi Comment. d. Crim. lib. 17. tit. 4. n. 7. nihilominus in hac Lege sub hac significatione venire, neque rationi ejus consentaneum est, neque aliis juris locis vid. Gloss. *in L. Eum qui nocentem 18. verb. infamavit ff. d. Injur.*

Refuta-  
 tur hoc  
 ex ratio-  
 ne Legis.

VIII. Ratio delicta est ex eo quod Criminum notitia sit ex usu Reip. quomodo vero hinc ad injurias inferendas concludemus? anne igitur ita argumentabimur: Expedit Reip. peccata nocentium, nota esse, ergo potest aliquis reum

## DE RATIONE LEGIS.

15

um Criminis publicè injuriā afficere? minimè verò, potius ita inferemus; Ergo qui nocentem publicè indicat, condemnari non debet, cum poena non sit afficiendus, qui facit quod publicè expedit. Henr. Boer. in Tractat. d. Fam. lib. c. 3. n. 16.

IX. Huic accedit, quod nec infamatio s. significatio *Ex narratō* ejus quod ad alterius contumeliam spectat, semper cum *vo sensu* animo injuriam faciendi sit conjuncta, uti similiter patet ex verbi in- L. 33. ff. d. *Injur.* Sic adeſt etiam infamatio, quando legitifamare: mē delicta judici denunciantur, ubi tamen ne minima adeſt calumniandi intentio conf. L. i. §. 3 ff. ad Sct. Turpill. Struv. in Synt. Jur. Civ. Exerc. 48. th. 55. in fin.

X. Dixeris: hoc modo supposito vacabulo *infamare*, Quae fit nullam subesse Legi nostrae dubitandi rationem, quod cessant nostra Le- te animo injuriandi, nunquam competit Actio injuriarum, gis ratio aut eo nomine condemnatio fieri possit l. 3. §. 1. vers. cum e. dubitan- nim ff. d. *Injur.* & L. si non convicti 5. C. cod. Ludwel. in Com- ment. ad Wesenb. libr. 47. tit. 10. n. 8; Paul Busius ad ff. d. l. Eum qui nocentem n. 3. Verum ad hoc respondeo, quod dubium tamen fuerit, annon ideo, quia ex consequenti ignominia redundat in infamatum, actio injuriarum concedenda arg. l. 1. §. 3. ff. d. *Injur.* cum qui causa aliquuj delicti fuit, ipse alias delinquisse videatur L. Qui occidit 3. §. pen. ff. ad L. Aquil. & qui vult antecedens sc. denunciationem, velle quoque vi- deatur consequens, nimirum fama læsionem, inde per indire- Etum resultantem, arg. L. Cui Jurisdicō 2. ff. d. Jurisdicō. De- inde etiam vix poterat aliter colligere infamatus, quam in- famantem hoc directō ad ejus imminuendam existimati- nem fecisse, de quo cum Judici, & hic Paulo aliter ex Cir- cumstantiis constabat, æquitati consonum respondebat, ideo infamantem non condemnari.

XI. Frustra igitur de Jcto nostro creditur, quod studiō *An. solius* folius Reip. causa etiam animum injuriandi habentibus hanc Reip. car- impunitatem indulserit. Partim quò ali, si infamibus sua- fa impu- rum laudum præconia libere occini possint, à similibus deli- niratē Qis abstineat, quæ ratio forsitan fuit, quod olim Poëtis con- bateat cessum convicia- tor.

## MEMBRUM I.

cessum fuerit, infames libere exagitare uti Horat. *i. Sermon.*  
indicat his versibus;

Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur  
Quod Moechus foret aut Sicarius aut aliqui  
Famosus, multa cum libertate notabant,

qualia plura refert Domin. Arumæus *Exerc. 24. ad Dig. th. 14.*  
vid. Harpr. *ad §. 1. J. de Injur. n. 101. in fin.* Partim quod veri-  
tus fuerit, ne accusatores, si summō periculo exponerentur *L.*  
*3. & 7. princ. ff. d. Accusat.* fatius habituri sint propriæ saluti,  
quæ semper fere potior esse solet *L. Praes 6. C. de Servit.* con-  
sulere, quam molestæ & onerosæ accusationi tergum submit-  
tere *Zoës. ad ff. Tit. d. accusat. num. fin.* Nam illut vulgatus ha-  
bet canon, non sunt facienda mala ut inde eveniant bona;  
Malum vero utique est, eo animo objicere Crimen, ut alte-  
rius fama vel dignitas lœdatur, ipseque ludibrio habeatur.  
Licit ergo hoc ipso secundario quoque Reip. innotescant de-  
licta, & innocentes eo magis discant evitare peccata cauteque  
mercari, quod commendatur in *L. Incivilem 2. C. d. Furt.* ni-  
hilo tamen minus ideo impunis abibit conviciator, quod ha-  
cenus delictum reticuit, nunc privatu odio ductus, citra ul-  
lum ad Remp. aut ejus salutem respectum, revelet. Peccavit  
enim in modo manifestandi peccata, quo neglecto commissa  
injustitia est, *1.3. C. d. Offic. Rec. Prov.* cuius exigenda poena.  
uti fusius docet Roman. *Conf. 46. conf. Mev. in Conf. Postb.*  
*72. n. 2.* huc facit arg. *I. un. C. d. fam. lib.* ubi requiritur, ut qui  
velit salutis publicæ causa crimen propalare, debeat id legitime  
facere, sive legitimè denunciare delictum: inde enim se-  
quitur, quod qui non legitimè denunciaverit, licet verum sit  
delictum, sed animo injuriandi propalaverit, poenam injuria-  
rum mereatur Struv. *d. Exerc. 48. th. 55. conf. I. Juslissimos 3. C.*  
*d. offic. Rec. Provinc.* plura reservamus membr. seq.

XII. Accusationum incomoda quodl' attinet, faten-  
dum, varia illa esse & multa de Jure Civili, quæ tamen ho-  
die cessant, postquam Jure, Carolino introductum, ut cautio  
solum præstetur super injuris & expensis in casum succum-  
bentia

an quo eo  
facilius  
accusat.

Negatur  
prius &  
quare.

Quoad  
posteriorius:  
accusati-  
onum mo-

## DE SENSU LEGIS.

17

bentiae *Conflit. Crim. art. 12. Carpz. Prax. Crim. Qv. 106. n. 41. leffia ho-*  
*Dn. Struv. Exere. 49. ib. 8. quod si etiamnum molestum videa- die cessant.*  
*tur, denunciet quis Judici delictum, quo ex officio inqvirat:*  
*Hoc enim facto, onus probandi à se declinat, si verò quas ha-*  
*bet probationes, illas suggesterit, qvæ de crimine novit ostendit, conf.* Generos. Dn. Gothofr. de Jena d. SCto Macedon. *&*  
*incidenter de denunciatione Evangel. Set. 4. apbor. 3. num. 7. &*  
*8. aut postulationem adhibeat, qvæ civilem potius actionem*  
*& modestam querimoniā continent, quam criminalem ac-*  
*cusationem, uti ex Perez. in Praelect. ad Cod. tit. de Accusat. n.*  
*1. in fin. & Tabore d. confrontat p. 54. n. 15. notat Excellent. D.*  
*Prtr. Schultz, disputat de denunciat. Crimin. c. 5. n. 9.*

XIII. Hac occasione non incorr. mode nunc disquiritur: *An de-*  
*Cum in denunciatione speciali ad refrenandam illorum, qui nuncian-*  
*audacter & calumniosè nunciant, malitiam, inter alia re. eis nomen*  
*quiratur, ut nomen denunciantis consignetur. B. Brunneim. in à Judice*  
*Proc. Crimin. cap. 4. n. 23. Scacciā de Judic. L. 1. c. 71 n. 3. an pari ad-*  
*Judex urgente parte adversa deferentis nomen teneatur reve- perse e-*  
*lare? Ubi quidem si Judex fidem dederit, se non divulgatu-*  
*dendum, illud nulla ratione facere posse nec debere, certum ha-*  
*beo, ne aliquip in quo exhibirantur debebat esse fides, temere*  
*fidem dicatur violasse L. 1. pr. ff. de Conflit. pacun. l. 1. pr. & l.*  
*7. §. 7. ff. de Pat. Si verò silentium non promissum, nec illud*  
*à deferente petitum, videndum erit, utrum jam antea ex va-*  
*riis conjecturis de veritate convicti quandanterus confiterit,*  
*an vero sola ad sit delatio absque ullis aliis indiciis. Priori*  
*causa non debet Judex nomen denunciantis revelare, ne sine*  
*causa deferentem gravi periculo exponat; bene tamen po-*  
*steriori, quod ita infamatus contra infamantem actionem in-*  
*juriarum possit instituere L. 1. §. 2. ff. ad SCr. Turpill. Hinc Utilis hic*  
*semper utile est hoc casu denunciatione adjicere protestatio-protestatio*  
*nem, se tantum boni publici causa denunciare crimen, ut in denunci-*  
*quisitio desuper instituatur. Dn. D. Schultz in d. Disp. c. 4. n. anti.*  
*25. Quamvis quoque citra hanc judici incumbat, ut prius*  
*denunciationis circumstantias attendat & qualitates indican-*

C

tis,

tis, quantum ei fidei sit tribuendum. Conf. Mascard. *de probatione Vol. 1. concl. 506.* Oldekop. in *Observ. Crimin. Tit. 2. Obs. 9. & 32.* Jodoc Damhaud. in *Prax. Crim. cap. 6. n. 11.*

*An convic-  
tiator ad-  
mittatur  
ad proba-  
tionem e-  
jus, quod  
non habue-* 110. n. 7. Felin. in *cap. si autem n. 1. & 2. de Rescript.* Ant. Petrit animum rez. in *præl. ad Cod. tit. de Injur.* n. 2. Id minus recte assertur, cum non solum cui animus injuriandi opponitur ad probandum contrarium admittatur, sed etiam leviores hic sufficiant probaciones, imo solæ præsumtiones. Berlich. p. 5. *Concl. 60. n. 9.* Heig. p. 2. Qu. 31. n. 39. Hinc judicis erit arbitratia, an quis amore in Remp. compulsus revelaverit delictum Mev. p. 5. *Dec. 219.* conf. Carpz. in *Process. Tit. 13. art. 1. n. 16.* Accedit huic sententia L. si non convicci 5. C. de *injur.* ubi perspicuis verbis probatio imponitur reo, quo demonstret animum injuriandi sibi defuisse, quod ex verbis: PROBARE POTES abunde colligere licet. Quin imo purgationis juramentum hoc casu, causa cognita deferri posse, tradit Gothoffred. in *not ad d. 1. 5. conf. Berlich. d. Concl. 60. n. 10. & seqq.* Simon van Leewen in *Cenf. Forens. part. I. L. 5. cap. 25. n. 4. in fin.*

*An injurya  
possit infer-  
ri infami?* XV. Illud (5.) Et ultimo adhuc dubium esse poterat, qua ratione nocenti, qui vita sua contaminata, turpibusque factis dudum amiserat famam & existimationem, injurya possit dici illata? & quomodo hoc casu existimatio facienda ejus, quod non est? Verum ad hoc resolvendum præsupponimus, uti ex Jure præsupponi debet, quod Actio injuriarum non ideo detur, quia fama injuriati per injuriam revera læsa, aut ejus existimatio est immunita, ita enim privatorum potestati exponeretur cujusvis viri gravis honor, non sine præsentissimo Reip. periculo contra L. 3. C. d. *Injur.* & L. un. C. d. *Famof. lib.* sed ne petulantia & perverorum malitia maneat

*Injuria  
non auffert  
famam,*

## DE SENSI LEGIS.

19

neat impunita, qui quantum in ipsis est, contumeliam alteri & contemptum inferre conantur. Ad quod respicientes Advocati, in causis injuriarum libellos concipientes, abstinere solent ab his verbis: daß Er Klägern an seinen Ehren geschmähet; sed potius his utuntur: daß er sich understanden / so viel an ihm gewesen / Klägern an seinen Ehren zuschmähet / uti ex Dan. Moller ad *Constit. Elect.*, 42. n. 6. p. 4. refert Carpzov.

*Prax. Crim. qu. 95. n. 92.*

XVI. Hoc præsupposito, extra dubium est, quod obje<sup>Affirmatur.</sup>

ctio quoque veri, si illegitimè fiat, injuriarum classi sit annumeranda. Dependet enim injuria ex affectu facientis L. 3. §. 1. ff. d. *Injur.* & l. 34. pr. ff. de O. & A. qui regulariter distinguit delicta l. 53. pr. ff. d. *Furt.* Quamvis igitur fama intamis non potuit lœdi nec imminui dignitas, qua quis vitæ turpitudine pridem erat exutus; quoniam tamen verum Crimen in rixa aut alias illegitime proferens, quod paucis hæc tenus innotuerat, omnibus modis, quantum in se est, contumeliam alteri inferre conatur, omnino injuriarium condemnabitur, poteritque hoc casu pro ratione circumstantiarum æstimatio fieri §. 7. f. d. *Injur.* quanti sc. inter sit injuriati isto logo crimen non esse objectum, & quæ alia sunt, quæ æstimari ex bono & a quo fas est.

## MEMBRUM III.

### DE USU LEGIS,

I.

Hæc tenus tradita sunt ea, quæ fecere ad explicationem *Transfusio.* Legis nostræ; Verum uti scire Leges non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem L. 17. ff. d. *Legib.* & ante omnia decet non solum circa verborum coticem hærere, sed quid in ipsis rerum obtinet argumentis scrutari, & an eadem in foro aliquando sint profutura, advertere.

C 2

Quotus

Quotus enim quisque, uti Plinius *ad Arisponum scribit*, tam patiens erit, ut velit discere quod in usu non sit habiturus? Conf. Dn. Joh. Frid. Boekelmann *ad ff. in prefat. ad Lett.* Ideo an usum, & qualem habeat nostra lex, subjiciendum.

*Lex semper loqui presumuntur.*

II. In genere vero notandum, quod abrogatio Legis non presumatur sed probanda sit: Leges enim semper loqui presumuntur, *L. Sancimus* 27, *C. d. Teflam*, nec tacite antiquantur Cujac. in *Paul ad. Edist.* l. 41 d. O. & A. Aug. *Barbosa in Collect. Cod. ad tit. 2. libr. 3. l. 4.* Quamvis itaque ab uno vel alio imperito judice, cui cerebrum pro Legi est, Legem aliquam scriptam esse neglectam probetur; non tamen ideo putandum est, eam a prudentioribus & rectius edocitis non esse observandam. §. ult. ibi propter imperitiam f. d. satis dat. Dn. Tabor. *de altero tanto p. 2. Art. 3. n. 8.* Siquidem a non usu ad abrogationem argumentari velle, minus rationi Juris convenit *L. 7. C. d. divers. Rescript.* nec quid nonnunquam fiat, sed quid fieri debeat attendendum l. sed licet 12. ff. d. Offic. *præf. conf. Cujac. ad libr. 22. Digest. Juliani ad l. 56. § 1. defurt.*

*Nostram  
l. 18. in usu  
si esse  
probatur.*

III. Hocut in specie nunc Legi nostrae applicem, illam adhuc in viridi esse observantia, tuto assero. De moribus Germaniae luculentissimi Testes sunt, Andr. Gail. *lib. 2. Obs. 99. Mynsing. Cent. 4. Obs. 4. Carpz. libr. 2. Resp. 61. Mev. p. 3. Dec. 357.* & alii plures, qui infra hinc inde allegabuntur. De Sabaudia praxi testatur Codex Fabrian. *L. 9. Tit. 20. def. 5. de Stylo-Mechlinensi Paul. Christin. ad Consuet. Mechlin. Tit. 2. Art. 4. n. 10. ubi in Addit. ad. d. n. 10. refert Bernhard. Autom. in Consuet. Jur. Gall. cum Roman. docentem ad nostram. l. 18. eam in Gallia esse abrogatam. Verum subjecta ibi ratio monstrat, non aliter hanc abrogationem intelligendam, quam quatenus cum animo injuriandi sit infamatio. Nam, dicitur, vita & honor hominum ludibrio maledicentium exponi non debet, nec eorum vitia improperari sed puniri convenit. Quatenus igitur hic animus excluditur, nullum dubium est, quin uti apud nos, sic quoque in Gallia haec Lex sit recepta. Idem servatur moribus Hollandie, quos sub his verbis:*

*Ahuar's*

Alvaer't oock so dat sulx waeragtig waer, eyt-genomen  
wanneer foodanig te kennen geven geschiet aen de Overheyt  
tot straffe des misdaets, refert Hugo Grot. in *Introduct. ad Ju-  
risprud. Belg. libr. 3. Part. 36. n. 3. & 4.* Quæ verba sicut ex  
sequentibus constabit, exacte referunt requisita ad justam in-  
famationem necessaria. Reliqua Hollandiæ vicina loca eos-  
dem mores tenent, uti liquet ex Dn. Joh. à Sande *Decis. Frisic.*  
*l. 1. tis. 8. def. 7.* Add. Groeneweg. d. *L. L. abrog. ad nostr. L.*  
*18. & l. un. C. d. famos lib.*

IV. Ut verò hi mores justi sint, & Legis nostræ dispo- *Requisita*  
sitioni fiat locus, quatuor potissimum sunt necessaria: De- *infama-  
tionis ju-*  
licium enim (1.) Verum sit, quod obicitur, paucisque no-  
tum. (2.) Notitia ejus ex usu sit Re'p. (3.) Revelatio justitia.  
fiat, modoque Legibus probato, & denique. (4.) Animus absit  
injuriandi. Conf. Dn. Mev. d. p. 3. Dec. 357. Hermann. Vultej.  
*in Comment. ad Instit. §. 1. d. Injur. n. 3.*

V. Quod ad Primum attinet, satis probatur ex Lege *Nocentem*  
nostra, quæ de nocentis infamatione loquitur. Præter hanc *infaman-  
tionis dum pro-  
batur.*  
idem innuere videtur *l. si non convicti s. C. d. Injur.* Ubi fides  
veri dicitur excusare à calunnia: Fides enim veri & inno-  
centiæ maximam habet securitatem. Roland. à Valle *Vol. 1.*  
*Conf. 54.* Hinc utut privati interdum indignis modis exci-  
pere soleant veritatem, juxta vulgatum illud dicterium. Wer-  
die Wahrheit geget dem schlägt man die Hiedel umb die Ohren.  
Besold. *Thesaur. Praef.* voce Wahrheit; hoc tamen ex innato fere  
omnibus vicio originem trahit, quo nemo vitia sua detegi fert.  
patienter *L. Meminimus 2. princ. C. quand. & quib. quart. pars.*  
Interim sicut ille, qui veritatem ita compensat, hoc non fert im-  
pune; ita is, qui legitimè eam dixit, non debet condemnari.

VI. Qvamvis vero cum aliquibus ponamus, *fidem in Explica-  
d. L. 5. non significare veritatem convicii, sed veram narra-  
tionem, quam in suis precibus erat complexus, ad quem re-  
de Injur. scripsit imperator. Joh. Hanedœs. in *Exerc. 23. ad Instit. qu.  
14. in fin.* Quia tamen præter hoc ibidem distinguitur, an  
absque convicii consilio, an verò animo injuriandi crimen*

homicidii sit objec<sup>tum</sup>, veritas Criminis omnino est supponenda : à falsi enim delicti inculpatione , vix unquam animus injurandi aberit. Dn. Struv. in Synt. Jur. Civ. Exere. 48. ib. 55. pr. Ideo nec à poena Legis liberabit aut Actione injuriarum arg. l. 1. §. 1. ff. ad Sct. Turpill. Diff. Harprecht. ad §. 1. Inst. d. Injur. n. 102.

**Certum  
Crimen  
objicen-  
dum.**

**Crimen  
quod ob-  
jicitur non  
sit subla-  
tum.**

**Qui pæ-  
nam suffi-  
nit non  
infamant-  
dus.**

VII. Ex hōc nunc sequitur , quod ille qui ita convicium dixit , ut certum crimen non exprimeret , injuriarum non teneatur : utpote si dixisset : Talis es , qualem Te homines dicunt , aut Tuum Te prodit ingenium &c. Berlich. p. s. Concl. 59. n. 71. Talia enim verba ob ambiguitatem suam non continent infamionem , nec aliquem nocentem esse alicujus delicti evincunt. Conf. L. Prator edixit 7. pr. ff. d. Injur.

VIII. Ulterius hinc fluit , quod uti ob delictum quis nocens dicitur , ita si illud sublatum , innocens. Quicunque igitur alicui objicit delictum , quod certo modo erat expiatum , injuriarum tenebitur. Non poterit enim talis objicio fieri , sine manifesto animo injuriandi : Scilicet si quis sciverit delictum esse sublatum aut remissum. Quodsi enim nesciverit , & Reip. causa in judicio innocentem infamaverit , poenam non meretur , non solum quia ignorantia dolum excludit. l. 3. §. 3. ff. d. Incend. ruin. naufr. Sed etiam excusat quoties versatur in re licita , uti hoc casu l. 2. C. d. in jus voc. Conf. Membr. 1. ib. 8.

IX. Hinc itaque , qui scienter objicit crimen , illi , qui pro admisso delicto poenam Legibus statutam sustinuit , ideo tenetur , quia innocentem infamavit : cum poena criminis , quam facinorosus perpeccus est , omnem reatum tollat , & pro absoluto habendum sit , qui poenam persolvit l. 7. in fin. ff. d. Jur. Patron. Wefenbec. in Paratitl. ff. tit. de pœn. n. 9. Ut enim solutione ejus , quod debetur , tollitur obligatio Civilis L. Stichum 95. §. 4. ff. d. solut. & princ. Inst. Quib. mod. toll. oblig. ita quoque obligatio ex delicto descendens præstatio poenæ perimitur. Harprecht ad d. §. 1. 7. d. Injur. n. 60. & 61. Inde dicere solemus er hat sein Recht ausgestanden. Par ratio est in eo , qui alicui crimen , quod per tortu-

torturam est purgatum, objicit, nam & hic injuriarum Actio-  
ne poterit pulsari. Ludov. Gilhaus. in *Comment. d. Injur. & fa-  
mos. libell. §. 5. n. 133.* Taliter enim tortus dimittendus erat in  
pace, juxta Innocentium III. in *cap. ult. d. Purg. Canon.* nec ul-  
terius inquietandus.

X. Modo tamen nova non extiterint indicia, ob quæ Limit.  
facta infamatio: Ob hæc enim uti tortura potest repeti L.  
*Repeti 16. princ. ff. d. Question.* ita illa manifestari publice in-  
terest, quod veritas eruatur, conf. Joh. Zanger. in *Tract. d. Que-  
stion. & Tortur. cap. 5. n. 11.* Deinde modo delictum, ob quod  
poena dictata, per se non fuerit famosum. Sic enim cum  
Reum perpetua sequatur infamia L. 6. C. ex quib. caus. infam.  
posset quoque de ea excipi in judicio, aut si ignota propalari.  
Expedit enim ne infames ad Testimonium perhibendum, aut  
dignitates capeſſendas admittantur l. 1. C. d. *Infam.*

XI. Præter hæc restitutione Principis interdum abolen- Restitutus  
tur Crimina, quod quoties factum, non poterit sine poena, à principe  
injuriis statuta delictum ita exstinctum objici. Anton. Perez. non infa-  
in *Præl. ad Cod. iiii. d. Injur. n. 6.* modo ſpecialiter quis restitu- mandus.  
tus, aut pristina dignitati, uti sub his verbis fieri solet: *Wir  
ſehen euch in den vorigen Stand und Würden l. Imperialis 23. §.  
4. C. de nupt.* Sic enim omnis infamia & macula, ex Crimine  
descendens abolita censetur l. 1. C. d. *Sentent. pass.* & l. 13. §. fin.  
C. cod. & tantum reddit absolutio, quantum abstulit conde-  
mnatio. Andr. Gail. l. 2. d. *Pace Publ. cap. 19. n. 1.* & 2. conf. B.  
Brünner. *Cent. 3. Dec. 74.* Quapropter non absque injuria tale  
crimen illi, qui nunc innocens est, exprobraretur.

XII. Ob hanc ergo caſam, qui ob crimen aliquod ban- *Quod il-*  
no affectus, sed poſtea illo absolitus, & à Princepe restitutus *Iuſtratur*  
est, non potest amplius ut bannitus inculpari, uti tenet Bald. *exempla*  
*ad d. l. Imperialis §. fin. C. d. Nupt.* Postquam enim lites fe- *banniti.*  
mel ſunt ſopitæ, non oportet eas iterum revocare, aut qua-  
libet ratione refuſicatare *L. 16. C. d. Transact.*

XIII. Idem eſt in Notario, qui de falso condemnatus, Exemplo  
à Princepe vero restitutus, pristinam dignitatem recepisse di- *Notarii.*  
cendus, arg. L. 57. in fin. ff. d. *Re Judic.* hinc instrumenta confi-  
cere

### MEMBRUM III.

24 cere potest. Bald, lib. Conf. 350. & libr. 4. Conf. 172. nam plenissime hoc beneficium Principis explicandum. L. Beneficium 3. ff. d. Constit. Princip. nisi de ejus contraria voluntate aliunde appareat arg. l. 35. pr. C. d. Inoff. Testam. conf. Zocel. ad ff. 11. d. Constit. Princip. n. 21. nec hic igitur ob crimen perpetratum, postquam ipsi gratia facta infamari absque dolo potest,

*Exemplo  
Spuriis le-  
gitimati.*

XIV. De spuriis per rescriptum Principis legitimatis, idem asserendum. Enim vero si & hi forte scienter ab aliquo illegitiinis fuerint annumerati, Actionem injuriarum habent. Ob maculam enim sublatam sunt innocentes. L. fin. ff. de Natal. Resit. Gabriel Palaeott d. Spuriis cap. 55. n. 6. Ideo non erant infamandi. Philipp, Decius Tom. i. Conf. 102. Quinimo præter hanc actionem ille, qui contra privilegium legitimatis spurium quemquam appellavit, tenebitur poena legitimatis instrumento inserta Harprecht ad d. S. 1. Inst. d. Injur. n. 55

*Quid de  
relegatis  
qui cum  
Principe  
urbem  
ingressi,  
babendum?*

XV. plura Exempla in re manifesta cumulare superfedeo, hoc duntaxat queritur: Utrum relegati, qui carpento, quo Princeps yehitur, inharent, & simul in urbem trahuntur, injuriarum convenire possint illos, qui delictum ob quod relegati erant objiciunt? Et quamvis infamia notatis urbem ingredi non licet, L. 8. §. 9. ff. d. Excusat. hinc si de facto ingressi fuerint, ideo famam non recuperent; Quia tamen moribus invaluit, ut relegati, dicto modo jus redeundi recipient, consequenter quoque fama ipsis erit restituta d. l. 8. §. 9. Et hoc ex tacita Principis voluntate, quæ ex ejus permissione colligitur, dum Princeps tale quid scire præsumitur c. illud. 5. X. d. Cler. Excommun. Confer Freher d. Fama libr. 3. c. 20. n. 9. Unde nullum dubium est, quin quoque ipsis, si prioris delicti ergo inculpentur, injuria fiat, & objicientes injuriarum tecuntur.

*De veri-  
tate Cri-  
minis con-  
stat ex  
probatione.*

XVI. Quapropter ante omnia, ut verum sit, quod obligatur convicium, nec aliqua ratione sublatum, requiritur. Petr. Theodor. in Colleg. Crim. diss. n. 1b. 16. lit. G. constabit autem de ejus veritate, si crimen objectum & intentatum probetur

betur L. 4. C. de Edend. Titulus enim Criminis neminem facit

**Reum L. fin. C. d. Accusat.** Qui igitur contra Testes aduersus *An qui* se productos excipit & opponit, quod fint Perjuri, infames, testi *ali-* adulteri, aliisque criminibus obnoxii, ac proinde ad Testi *quid inju-* monium perhibendum inepti, ille veritatem horum edocere riosi oppo- debet, ni injuriarum velit conveniri. Quamvis enim contra *nisi*, hoc Testes excipere jure sit permisum C. 1. X. de Except. Carpz. p. *debeat pro-* 4. C. 42. def. 7. nemini vero injuriam faciat, qui jure suo utitur bare?

**L. Injuriarum 13. §. 1. ff. d. Injur. & L. 55. ff. de R. f.** Hoc tamen non aliter verum, quam si exceptio possit probari; alioquin Excipiens non tam jure suo utitur, quam Exceptione ista, quæ ob deficientem probationem nullius nomenzi est, abutitur, illaque calumniantur L. 1. C. de advoc. divers judic. can. 3. canf. II. qv. 3. idcoque actione injuriarum conveniri potest L. si tibi *six-* vitutis 31. C. d. liberal. canf. conf Gail. libr. 2. Obsf. 101. n. 6. & 7. Bernhard. Wurmfer, lib. 1. Observ. Praef. tit. 47. obsf. 17. in fin. præprimis cum duplex præsumtio, quarum una ex verbis in- juriosis, altera ex defectu probationis oritur, facile unicam illam, quod videlicet se defendendi causa fuerit exceptio op- posita, elidat. Nam ipsa defensio, ut justa sit, justo quoque fiat modo, necessum est. Conf. Joh. Harprecht ad §. 1. f. d. Injur. n. 107 & seqq. ubi refutat dissentientem Fachinaxum L. 9. Contr. Jur. cap. 13.

XVII. His insuper accedit, quod cum Reus excipien- *An non* do fiat Actor, perinde suam Exceptionem, uti Actor suam in- excusetur tentionem debeat probare L. 12. & L. 19. ff. d. Probat. Add. ab *inuria*, Farinac. lib. 3. Prax. Crimin. Qv. 105. n. 133. Nec juvare eum *quia in ju-* poterit, quod in judicio opposuerit, & sic citra animum, *dicio oppo-* injuriandi L. Item apud Labeonem 15. §. 29. ff. d. Injur. qui ex suis? eo patescit, quod objectum non probatur, vel nihil ad præ- sentem item facit. L. Quisquis 6. §. 1. C. de Postul. Quin gravius punienda *inuria* in judicio facta, quam extra judicium, cum pars hic non solum offendatur, verum & judex, qui ita mendaciis decipitur Surd. Dec. 89. n. 5. conf. Salycet in L. si non con- vicci 5. column. fin. in f. C. de Injur. Socin. Conf. 118. n. 5. Mini-

me igitur libidini conviciandi concedendum, ut plus liceat injuriantibus in judicio, quam extra judicium, nec indulgendum, ut homines invitentur ad delinquendum, contra L. 27 §. 3. ff. d. Pal. & L. 22. ff. de Reg. Jur. uti fieret, si convicia proferre nec eadem probare, satis esset.

*An protestatio hoc casu aliquid operatur?*

XVIII. Cavendum ergo sedulo, ne praeter rem & affectato juris colore citra probationem aut conjecturam aliquid objiciatur. Zos. ad ff. tit. d. injur. n. 6. neve quis ultra, quam litium poscit utilitas, in licentiam conviciandi & maledicendi prorumpat d. l. 6. C. de postul. Alioquin ne quidem protestatio, quæ alias, si crimen exacte forsitan probari non posset, utiliter ab excipiente de non injuriando fieri potest & solet, uti testatur Wurmser d. Obs. 17. Oldrad. Cons. 53. B. Brunnen. ad Paratit. Wesemb. tit de Injur. Qv. 26. quicquam operabitur, cum facto sit contraria c. 54. in fin. X. de Appell. Crimini scil. intentato, sed non probato, unde animus injuriandi colligitur.

*An veritas Criminis proberur, si quis illud nocens, uti dictum Membr. i. th. 7. in fin.*

decidit ab alio audiendum. Hinc nec dubium quin injuriarum teneatur, qui injuriarum ab alio auditas postea propalat, juxta vulgatum illud: Wehrman haben hilft nicht Carpz. in Prax. Crimin. Qv. 96. n. 70. Dolo enim non vacat, dum non minus famam alterius hædit, ac Author ipse, qui eas primum exegitavit, arg. L. un. C. d. Fam. lib. Besold. Thesaur. Pract. voc. Schmäh Sachen. Mart. Digest. Noviss. Tom. 2. de Injur. cap. 52. Carpz. p. 4. C. 42. def. 5. Coler. Part. 1. Dec. 161. n. 41.

*Limitatur.*

XX. Nisi tamen praeter auditum alia suppetant commissi delicti indicia. Tunc enim locum habet, quod vulgo dicunt Dd. Famam & per consequens auditum excusare à dolore. Bartol. in L. cum quidam 30. §. Quod dicitur 3. ff. de acquir. vel. amit. hered. Harprecht. ad §. 1. Instit. d. Injur. n. 134. Vel nisi ex circumstantiis constet, tale quid referentem caruisse animo

## DE USU LEGIS.

27

ânimo injuriandi: Nam sic, utut alter nocens dici nequeat,  
quia tamen formale requisitum injuria deficit, actio conse-  
quenter cessabit. Juxta quod ab Ampliss. hac Facult. Jurid.  
*Anno 1670. d. 22. Martii reponsu tradit Dn. Stryk. in Tract. d.*

*Jur. Sens. Diff. 3. C. 3. n. 6.*

**XXI.** Et hoc fuit primum justæ infamacionis requisi-*Infamatio-*  
tum: Alterum est, quod crimen de quo aliquis infamatur, tale Reip. utilis  
debeat esse, quod scire Reip. interest, uti manifesto indicat *st.*  
Legis nostræ ratio, de qua *Membr. 2.* Sic qui latronem ali-  
quem, furem, homicidam, adulterum, sacrilegum, leprosum  
appellavit, coeteris paribus, ideo non tenetur. Bartol. *ad l. 18.*  
*ff de Injur.* Arnold. Vinn. *in Comment. ad Inst. §. 1. d. Injur. n. 3.*  
Publice enim expedit talia nota esse. Econtra, qui gibbosum  
aliquem, claudum, monoculum, surdum nominavit, aut aliud  
vitium naturale objecit, vel etiam delictum exprobravit, cuius  
poenam alter sustinuit, injuriarum conveniri potest, quia ta-  
lia innotescere Reip. non expedit, & defectus nostros ita de-  
tegi inhumanum est & injiosum *L. 2. princ. in fin. C. Quand.*  
*& quib. quart. part.* Petr. Nicol. Mozz. *de contract. tit. de Do-*  
*nat. Art. Quomodo annulletur num. 24.* Hilliger. *in Donell. Encl.*  
*L. 15. c. 14. lit. H.*

**XXII.** Hoc itaque casu, licet diffamator se offerat ad *Si inutilis*  
probationem vitorum, quæ in alterum evomuit, non tamen *an probant*  
excusationem meretur. Unde apparet, advocatos illos, qui *da à Convic-*  
*in ejusmodi casibus desiderant crimen objectum probari, Cli-*  
*ciatore?* entibus suis minus recte consulere, neque Judices probè age-  
re, qui ad probandum illud admittunt, quod probatum non  
relevat, contra *L. Ad Probationem 22. C. d. probat.* Herm. Vulcej.  
*in Comment. ad Inst. §. 1. de Injur. n. 34.* Audiendus itaque  
non est, qui si asinum quempiam, vulpem, vel leporem appel-  
lasset, postea se similes hominis mores probare velle præten-  
dat. Mev. p. 3. *Dec. 357. n. 9. & cons. posthum. 14. n. 23. & 24.*

Ubi incidenter monemus, superioribus seculis longe gravio *Quid si le-*  
rem fuisse injuriam, si quis aliquem leporem dixisset, quam si parem ap-  
vocasset *vulpeculam*, adeo ut duplo amplius punitus fuerit qui *pellaverit*  
leporinos mores alicui objecisset, sicuti constat ex disposi-  
tione

tione Legis Salicæ tit. 32. l. 3. & 4. quam refert Lindenbrog Cod.  
Leg. antiqu. fol. 328.

*Infamatio* debet legi-  
*tionem*, ut crimen legitime objiciatur. Ut enim si non in-  
*time fieri* ter sit Reip., veritas nullam præbet objicienti excusationem; ita si inter sit tum demum excusationem habet, si legitimo modo manifestetur, id est, si in illo loco dicatur, ubi objectio ejus erat necessaria, vel si ad Magistratum deferatur à perso- nis accusare non prohibitis, aut si omnia ita agantur ne quis contra jus agendo ullam de se præbeat injuriandi significatio- nem, quo modo legitimè dicitur Crimen objectum. Tali e-  
nī modo revelanda delicta, ut infamans non criminetur, sed jus cogitet, & justum observet modum Mev. p. 3. Dee 357. & Conf. Postb. 93. n. 146. Alioquin effrenis foret libido grassandi in alterius famam, quæ tamen merito intra limites est coē-  
cenda Carpz. in Prax. Crim. Qu 107. n. 16. & seqq. Conf. Membr. 2. th. ii. in fin.

*Qui contra Leges accu-*  
*sant tenen-*  
*tur.* XXIV. Quibusunque igitur personis ob certum ali-  
quod vinculum prohibita est accusatio, illæ si nihilominus in-  
famaverint, illud impone non ferent. In dolo enim sunt

dum id faciunt, quod facere non debebant L. 1. C. ad L. Corn. d. Sicar. Mascard. d. probat. concl. 532. n. 50. Quamvis itaque Reip. inter sit, delicta revelari, L. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil. hoc ta-  
men à personis debet fieri legitimis, non quæ actissimum ob-  
stricæ sunt vinculo. Hoc enim tunc observasse sanctius ha-  
buerunt Legum Latores, quam Reipubl. utilitatem, præprimis  
cum ex illius obseruatione, hæc non minimum promoveatur.

*Quod E-*  
*xemplis*  
*probatur.* XXV. Ita si filius Patrem criminis cuiusdam Reum, postulaverit, injuriam ipsi inficit, hinc justa hæc fuit causa re-  
putata exhereditationis Nov. 115. c. 4. Idem viceversa est, si pa-  
ter accusaverit filium d. Nov. 115. c. 4. De fratre idem reperi-  
tur Nov. 22. c. 47. Conf. ibi. Gothofred. in nor. simili modo  
Vassallus Dominum de vero crimine accusans, feloniam com-  
mittit, Dn. Stryk. in Exam. Jur. Feud. cap. 22. qu. 10. Donatarius  
quoque si sponte adierit Judicem, & donantem de re certa  
infa-

DE USU LEGIS.

29

infamaverit v. g. quod sit leprosus atque Gallicā laboret, ideo donatione poterit privari Covarruv. Tom. 2. Variar. resolut. L. 1. c. II. n. 8. Licet enim bonum sit & expedit scire leprosos, quo à consortio aliorum repellantur can. II. casf. 33. qu. 2. & c. I. X. d. Conjng. lepros. Donatarius tamen ob nexum, quo tenebatur donanti, non nisi amissa donatione talia proferet.

XXVI. Quæ omnia procedunt, nisi delictum tale sit, quod immediate tendat ad Eversionem Reip. quale est Crimen læsa Majestatis seu Perduellionis. Ad hoc enim revealandum quilibet tenetur, cum Patriæ major quam aliis alicuius vinculi habenda ratio, arg. L. Minime 35. ff. d. Relig. & Sumt. fun. Decian. Pract. Crim. lib. 7. c. 34. n. 25. Hinc tam idonei quam inidonei hic admittuntur L. 20. C. de his qui accus. Carpz. Prax. Crim. Qv. 41. n. 34 & non revelantes poenis afficiuntur L. 5. §. pen. C. ad L. Jul. Majest.

*limitatur.*

XXVII. Et ex hoc tertio justæ infamatio*nis* requisito *Infamatio* fluit quartum, quod sc. debeat abesse animus injuriandi. Prostat absque batur hoc diserte ex L. Si non convicii 5. C. d. Injur. ubi inconsulto calore crimen homicidii objiciens, post annum, ob injuriandi. Crimen homicidium conveniri nequit: Hinc enim è contrario concluditur, quod convicator ante lapsum anni, non attento, quod homicidium tale Crimen sit, quod revelari publice interest, potuerit conveniri, quia prava intentione detexerat. Parum adversatur, quod regerunt inter dissidentes Harprecht ad §. 1. Instit. de Injur. n. 102. Paul Busius ad nostr. Leg. n. 4. non constare ex d. L. 5. specie, utrum homicidium, quod objiciebatur, revera fuerit perpetratum, adeoque an alter nocens fuerit, an vero innocens, hoc enim antea refutatum. Facit ad id ulterius probandum L. 3. C. de Offic. Recl. Provinc. & omnium optime can. cum minister. 14. & can. 45. casf. 23. qu. 5. Unde hæc colligitur Regula. Quod quotiescumque affectus malus ad rem licitam accedit, toties eandem ratione agentis reddat illicitam Mynsing. Cent. 4. Obs. 4. Covarruv. Tom. 2. Variar. Resolut. lib. 1. cap. II. 6. 6. Gail. lib. 2. Obs.

D 3

gg. n.

99. n. 6. Valent. Guil. Forster in Part. i. Diff. ult. ad Inst. qv. 13. Joh. Coppen. in Ulyprael. Insti. lib. 2. Obs. 79. n. 9. in fin. Quæ regula, cum faciat ad peccatum evitandum, quod fatentibus adversariis, committit, qui privatæ vindictæ studio ardens, id unicè propositum habet, ut adversarium vita, bonis, fortunisque omnibus evertat, sunt verba Anton. Mæthai de Crimin. L. 48. ff. Tit. 13, c. 1. num. 12, merito hoc passu calculum accepit, præprimis, cum ejusmodi delator, odium quoque publicum incurrat. L. 20. ibi vocem funestam C. de bis qui accus. non poss.

*Animus ex circumstan-* **XXVIII.** Colligitur autem pravus ille calumniandi animus ex Circumstantiis, quæ discreti judicis arbitrio relin-  
*ciius colligi-* quuntur L. 15. §. 25. ff. d. *Injur.* Mev. p. 5. D. 219. Ita si quis  
*tur,*

aliquem in rixa Ullurarium, aut foeminam meretricem nominaverit, utut, quod objectum, verum sit, non tamen ab Aktionे injuriarum excusabitur Aym. Cravett. Conf. 145. Oldrad. Conf. 53. Ex hoc enim quod convicium non justo loco dictum, vel in negotio quod illud nihil omnino concernebat, & ad quod objectio ista nihil momenti conferebat, libido & voluntas injuriandi præsumitur, quæ non attenta veritate ad Reip. utilitate, castiganda, ut alii etiam poenæ exemplo deterriti, noverint, non satis esse, quid fieri reête, nisi idem etiam fiatrite & legitime. Herm. Vultej, in Comment. ad Inst. §. 1. d. *Injur.*

*Quid si le-* n. 3. in fin. Idem est, si quis Legitimato dixerit. Tu fuisti spu-  
*gitimato* gitus. Hoc enim quamvis citra injuriam fieri posse afferat, *rius.* objiciantur, Andr. de Isern, arg. L. nostræ, contrarium tamen verius, quia *objicitur* quod fuerit postquam quis legitimatus est, omnis macula est sublata, ut a-  
*spurius?* deo nunc innocens infamaretur, uti ante dictum. Infuper quoque non amplius interest Reip. tale quid scire, hinc Aktioni injuriarum Locus.

*Infamans,* **XXIX.** Sequitur hinc, quod ille qui rationis usu peni-  
*qui ratio-* tus destituuntur, si præter propter nocenter infamaverint,  
*nō usu de-* non teneantur. Sic extreme ebrios ab injuria, ob animi exi-  
*guitur* lium est absolvendus arg. c. à crapula 14. X. de vit. & honest. *non conve-* Cleric. quia non tam ex proposito, quam imperu deliquerit L.

Per-

*Perficiendum n. §. 2. ff. d. Injur.* Idem in summe irato qui su-  
rioſo proximus L. 48. ff. d. Reg. Jur. Modo non cefante ebrie-  
tate vel ira ulterius frivole injuriando perrexerint, cum omnia  
delicta ex impetu commissa, dijudicanda sint ex sequente per-  
leverantia d. L. 48. Dico *frivole*: Nam si cefante ebrietate  
adierint judicem, & legitime denunciaverint delictum, quod  
antea objecerant, non poterunt ob prius convicium, citra  
dolum dictum injuriarum convenit; licet extra ordinem ta-  
les ebriosi puniri possint vid. Wehner *Obser. Præt. voce 312*  
*trincken*, ubi ex Simlero refert, quod in Helvetiæ partibus  
zu Uri Schweiß &c. non modo puniatur carcere sed & vinum  
bibere per annum prohibetur, neque licentiam reibendi  
vinum nanciscatur, nisi ea ab omni Helvetiorum communio-  
ne illi concedatur.

XXX. An idem in Rustico, qui forsitan preces offerens *An rusticus*  
Principi, adversarium simul perstringit, & vera ad item præ-  
sentem tamen nihil facientia, de eo proferat, ut quoque in eo *infamans*  
*teneatur?* animus injuriandi excludatur, Judici dijudicandum relinquo.  
Videtur quidem Rusticus talia ideo protulisse, quo Principi  
eo facilius, ad concedendum, quod petit, moveat, cui  
accedit, quod alias etiam à dolo præsumto rusticus excusatetur  
Marta in *Digest. Noviss. Tom. 2. Tit. d. Injur. c. 34.* quoniam vero  
alii rusticorum versutiores sunt aliis, nihil certi hic definitio,  
an injuriarum condemnandi, sed in Judicis arbitrio ac-  
quiesco.

XXXI. Ulterius hinc sequitur, quod quotiescumque *Qui nec-*  
aliquis ex officii necessitate nocentem detulit, injuriarum non *farionocen-*  
*teneatur* per L. 2. ibi, inter voluntariam accusationem & officii tem deserte  
necessitatem C. de *Calumniat*, ne alioquin officium suum sibi sit non tenetur.  
damnosum contra L. 7. ff. *Testam. quom. aper. L. 26. C. d. Ad-*  
*min. Tur.* Sic enim denunciatores publicæ Germ. Rüger/ cu- Exemplum  
jus vocabuli originem vid. ap. Magnif. Dn. Rhetium in *Diss. in Denun-*  
*Juris Publ. de Staris Roland. c. 1. n. 5. in fin.* ad quos apud nos ciat publ.  
quadantenus referendi Fiscales, excusantur. Idem ob eandem  
rationem de *Teste dicendum*, qui ab accusatore criminis pro- In *Teste.*  
bandi

bandi causa, in Testimonium fuit productus. Hic enim si judice interrogante, Crimen à Reo commissum dicat, ideo non tenetur arg. L. 15. §. si quis astrologus 13. ff. de *Injur.* quia non solum ex vinculo juramenti adstrictus est, quæ sensibus percepit asseverare, sed quoque ad Testimonium perhibendum potest à judice compelli L. inviti 8. ff. de *Teslib.* L. 16. princ. & L. 19. C. cod. Cessat itaque ob officii necessitatem animus injuriandi, formale actionis injuriarum requisitum L. 3. §. 1. & L. 4. ff. d. *Injur.* Berlich. p. 5. Concl. 59. n. 70. Cravett, Conf. 13. Surdus Dec. 89. n. 26.

## Limitatur,

**XXXII.** Sed hoc tamen quoad Testem limitatur, si se ipsum obtulerit, & satis aliunde constet, se vexandi ergo crimen de aliquo revelasse. Sic enim quæ erat pro ipso præsumtio, facile contraria probatione & spontanea oblatione eliditur. Joh. Harprecht ad d. §. 1. J. d. *Injur.* n. 125.

*Quid si vasallus restarus fuerit contra Domi-*  
nūm.  
Multomagis igitur Vasallus, si Testimonium in crimine etiam vero dixerit contra dominum, tenebitur 2. Feud. 33. §. 1. Verf. similiter poterat enim exemplo liberti se excusare L. 12. C. d. *Teslib.* quod cum' non fecit, sponte testimonium suscepisse creditur, Bald. in L. *Parentes* 6. n. 2. C. de *Teslib.* Menoch. Conf. 175. n. 20. Ideoque ob injuriam factam poterit condemnari & Feudo privari. Conf. D. Stryk. in *Exam. Jur. Feud.* cap. 23. qv. 9. Nisi se quidem à Testimonio excusaverit, sed nihilominus à superiori ad Testimonium ferendum fuerit compulsus, hoc enim casu sine dubio foret excusandus arg. L. 167. §. 1. ff. d. R. J. Zaf. F. p. 10. num. 49. verf. sexto Rosenth. de *Feud.* cap. 10. d. feud. amiss. concl. 34. Harprecht d. l. num. 126. & seqq.

*Qui defendendi ergo infamat non tenetur*  
*An Teslibus objiciens ve-*  
Eadem obtinent, quoties quis sui, suique juris defendendi causa aliquem infamat. Nam & hæc Juris executio non habet injuriam L. 13. §. 1. ff. d. *Injur.* Ita si quis ad reprobados Testes verum crimen objiciat & probet, jure, neque injuria causa hoc fecisse videtur Carpz. p. 4. *Constit.* 42. def. 7. Simon von Leeven in *Cens. For.* p. 1. libr. 5. cap. 25. n. 3. Idem est si quis contra judicem ut suspectum excipiat, Carpz. d. *Conf.* 42. def. 8. & quamvis his casibus tutius Dd. velint

velint protestationem addi, quod non animo injuriandi dicatur, uti post Oldrad. *Conf. 53.* notat Wesembec, in *Paratitl. ff.* teneatur. *tit de Injur. n. 9.* Illud tamen adeo necessarium non erit juxta quod aliquoties judicatum refert Paul. Christin, *ad Confuet. Mechlin. Tit 2. Art. 4. n. 20.* ibique addit.

**XXXIV.** Decidi hinc potest, quid dicendum de illo, *Quid si qui ab alio verbis injuriosis provocatus, verum Crimen retor-injurianti quando expressit.* Etenim & hunc ab actione injuriarum ab-verum *Cri-solvendum arbitramur.* Tendit enim hoc ad moribus rece-men retor-ptam defensionem famæ, quæ eatenus cum vita pari passu am-queatur? bulat arg. l. 8. §. 2. ff. *quod met. causa n. vindict. L. 103. d.*

**V. s.** Et quidni perinde uti vim vi repelleri licet *L. ut vim 3. ff. d. I. & 1.* Ita etiam injuriam verbis injuriosis repellere in continentia licet? Gail. *libr. 2. Obs. 100. n. 4.* præprimis cum crudelis sit, qui famam neglit. *can. non sunt audiendi 56. caus. 11. qv. 3. & C. 10. caus. 12. qv. 1.* & paria delicta mutua compensatione tollantur *L. Viro 39. ff. solut. matrim.* Conf. Christin. *d. Art. 4. n. 13.*

**XXXV.** Modo tamen modus retorsionis non exce *Limit.* datur. Unde si provocatus, ad objecta non solum menda-*Si modus cium reponat*, sed insuper alia vitia & delicta vera, v. g. fur-retorsionis tum, latrocinium &c. referat, injuriarum tenetur. Nam uti excedatur. paria delicta tantum compensantur, ita & pares injuriæ. Hie vero objectione mendacii injurya erat retorta; ob diversissimum igitur delictum, præterea exprobratum, licet verum sit, tenetur provocatus, cum denuo injuriandi animus inde colligatur *c. veniens ibi: alternativam convicia inferendo X. de Ju-rejur.* Duxi: *Diversissimum.* Aliud enim vult in formula illa: *Quid si Du leugst wie ein Schelm.* Struv. in *Tract. de Vindict. Privat.* quis dixerit *c. 10. Aphor. 10. n. 4.* quia vocabulum *Schelm generale est*, & mentiris ut recte quoque de convictore dicitur. vid. Befold. *Thesaur. nequam* *Praet. voc.* Biedermann & *Schelm.* Sicut etiam priori casu mitius puniendum esse provocatum tradit Gail. *d. Obs. 100. num. 9.* quod justum animi dolorem compescere & temperare sit difficillimum *L. si adulterium 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de Adul-*

*Adulter.* Conf. L. 14. §. Si liberius 6. ff. de bon. libert.) Mynsing.  
Cent. 5. Obs. 17. qui videtur dissentire.

*Animo cor-* XXXVI. Ultimò ex dictis infertur, quod ille, qui ani-  
rigendi ve- mo corrigendi verum Crimen objicit, injuriatum non obli-  
runt obji- getur L. sed et si 5. §. ult. ff. ad L. Aquil. L. 15. §. 38. in fin. ff. d. In-  
ciens non jur. & L. 13. §. 4. ff. Locatii. Nullus enim hic adest dolus, abs-  
senetur. que quo injuriam non committi multoties dixi. Sic Judex ob-  
id quod venerandæ Reip. causa , L. 33. ff. d. Injur. vel admoni-  
nendi ergo facit, ut quis ad melioris vitæ frugem se reformet,  
non tenetur L. Interlocutio 19. C. ex quib. cauf. infam. L. 13. §. 6.  
ff. d. Injur. cum hoc pudorem potius & verecundiam oneret,  
quam ullam existimationis maculam asperget, L. 17. C. ex quib.  
cauf. infam. irrog. & L. 20. ff. eod. Idem in propinquis ac confan-  
*Nec concio-* guineis obtinet L. 16. §. 2. ff. d. pan. & tot. tit. C. d. Emend. Pro-  
*nator.* pinguer. Sic quoque Concionator, licet alicujus mores perva-  
sos perstringat, excusatur arg. d. L. 13. §. 4. ff. locat. quia ratio-  
ne officii adstringitur, gregis sibi commissi, cuius plus, quam pa-  
ter naturalis est, curam habere, ut pluribus deducit Harprecht.  
ad §. 11. 7. d. Injur. n. 44.

*Limitatur.* XXXVII. Præsumitur verò hic animus corrigendi ex  
circumstantiis. Hinc qui ipse talis est, qualem alterum diffa-  
mavit, in eo non censetur fuisse animo emendandi, uti si v. g.  
qui ipse Usurarius erat, alium de usuraria pravitate infamasset.  
Petr. Nicol. Mozz. d. Contract. iii. d. Donat. cap. quomodo annulle-  
tur. n. 24. in fin. Qui enim eadem facit, quæ corrigit, Erro-  
ris Magister dicitur, non corrector. can. 41. cauf. 2. qv. 7. Ita si  
*In Judge* fiducia magistratus, ideo potest conveniri L. *Nec Magistratus* 32.  
*& Sacer-* ff. d. Injur. Nam hoc bonis moribus maxime adversatur, L. 33.  
*dore.* ff. eod. Sic Sacerdos, si vel extra officium, quod gerit, vel, quod  
frequens vitium est, pro concione privato affectu, neglectis  
admonitionis gradibus, in aliquem invehat, & Authorem alicujus delicti, paucis, vix sibi notum nominet, aut vivis colori-  
bus ita depingat, ut omnes, quis intelligatur, intelligent, pro-  
cul dubio ideo tenetur d. L. 32. In dolo enim est, dum contra  
mani-

## DE USU LEGIS.

35

manifestissimam S. Scripturæ literam, quam vid. *Mattb. 18. v. 15.*  
 agit, & Leges Imperii publicas, quæ à verbis, quæ non emen-  
 dant, sed turbant, severissime abstinere jubent vid. Rec. Imp. de  
 anno 1530. §. Wir haben uns s. ibi sollen sich alles Stumpfirens/  
 schmähens und lästerns enthalten & de anno 1542. §. damit aber  
 unter 4. ii. Art. V. §. utriusque 49. Instrum. Pac. Osnab. ibique Ma-  
 gnif. D. Rhetii notat. negligit, inter constitutiones provinciales  
 despiciunt habet, conf. Constit. Consist. Brand. Tit. 10. v. auch sollen  
 sie ic. ibi. doch soll solches ohne privat aff. & und nach dem Processe  
*Mattb. 18.* geschehen Add. Reinking d. R. S. & E. L. 3. Cliss. 2. C. 2.  
 n. 7. Farinac. Prax. Crim. Qu. 105. n. 189. & D. Simon. in Disput.  
 de Action. Injuriar. Sacrd. Concernent. Membri. 2.

XXXIX. Hec dicta sunt de veritate convicции verbis *Verum con-*  
*objecti*, quibus qua supersunt, facili negotio applicari possunt. *vicum li-*  
*Eadem* vero requisita perinde attendenda, si convicium scripto bello legi-  
*objiciatur*. Nam si hoc capropter fiat, ut judex sotentem puniat, *time obji-*  
*i. e. si crimen verum in libello ritè exponatur, & libellus judici ciens, non*  
*animo consilendi Reip. offeratur, iniquum esset ob id con-*  
*tenetur*.  
*demnare* conviciatorem, qui ordinaria & licita via fuit usus,  
*ideoque* maxima laude censetur dignus. *L. un. C. d. Fam. lib.*  
*Farinac: d. Qu. 105. n. 240.* Bertaz. *Conf. 390. rot.* Conf. latè Hon-  
 ded. *conf. 112.*

XXXIX. Excontra qui unum ex justæ infamationis requisi- *Secus* § 4-  
 tis, supra *tb. 4.* enarratis, negligit, & v. g. convicia vera objicit nimus inju-  
 in Libello, quæ nihil plane ad caufam, quæ ventilatur, momenti riandi ap-  
 habent, illos omnes æquum & bonum est id circa condemnari, pareat.  
 Par ratio est illorum, qui extra judicium, alicui certum, & speciale crimen  
 imputant in libello famoso. Hi enim quo atrociorum injuriarum inferunt, eo  
 magis sunt puniendi, quippe qui non ultra ad veritatem probandam profiliunt,  
 uti faciebat ille, qui juxta nostram *L.* nocentem infamabat, *Jac. Gothofred.* *Vera in li-*  
*ad L. 1. C. Theodos. de Famos. lib.* Quapropter licet probare velint, *vera esse bello famo-*  
*& Reip. sciri proficia*, quæ libello famoso comprehenduntur; non tamen so *objiciens*  
*excusantur*, uti aperte confirmat *Constit. Crimin. Art. 110. sub fin. his verb.* *an excuse-*  
*der* ob sich auch gleichwohl die aufgelegte Schmach der zugemessenen That in *an excuse-*  
*Theodos. d. Famos. libell.* quia accusationis promotione confidebat, libera potius  
*intentione*, quam captiosa atque occulta conscriptione, alterius vitam debebat

in judicium vocare, conf. *L. un. C. eod.* & cum aliis modis publica salus, & tranquillus, & securius servari possit, non concedendum, ut ad eam promovendam per infame hoc scelus properemus. Matth. Steph. *ad d. Artic. 110. n. 6.*

*Quia pena  
afficitur?*

*XL.* An vero hoc casu nibilominus poena *L. Unic. C. d. Fam. lib.* obtineat, dubium? In *d. L. un.* hoc non definitur, nam quod ibi dicitur: quod si assertoribus aliquibus fides veri fuerit opitulata, ille laudem maximam consequatur, hoc pertinet ad illum, qui per ordinariam accusationis viam crimen in judicium deduxit, non qui extra judicium libellum famosum proposuit Harprecht *ad s. 1. J. d. injur. n. 166.* Supplenda igitur *d. L. un. L. 1. C. Theodos. Eod.* unde desumus: Ibi autem explesè dicitur. Nec tamen supplicio, etiam si aliquid offendenter, subtrahatur. Quod uti Jacob. Gothofr. *ad d. L. 1. C. Theodos.* addit, de fustigatione intelligendum, quam sustinere debet, qui infamare maluit, quam accusare. Quicquid hujus rei sit, Jure Carolino *d. Art. 110.* hodie certum, hoc casu, si diffamationes vera, mitius procedi & poenam saltem extraordinariam dictari, per verba *d. Art. 110.* Soll dennoch der Ausrufer / solcher Schmach / nach Vermöge der Rechte / und Erneistung des Richters gestrafet werden. Juxta quod in Cam, Imp. iudicatum testatur Mynsing. *Cent. 4. Obs. 4. Add.* Bernhard. Zieritz, *ad Conflit. Crimin. d. Art.*

*Pena miti-  
ganda si ve-  
rum illegitima  
reip. causa  
objectum.*

*XLI.* Ex quo ultimo concludo, quod pari modo, si quis verbis Crimini illegitime objicerit & illud non solum verum sit, sed etiam Reip. manifestari multum utile, poena injuriarium sit mitiganda. Aequum enim & bonum tunc erit in tantum non condemnari vera, quam falsa objiciēt, cum longe major in hoc, quam illo conficiatur malitia: Ille enim in modo propalandi peccavit, hic in omnibus. Cui accedit, quod nec tanti aestimari possit injuria nocenti facta, quam innocent, ut adeo non penitus à Judice negligenda frivole opposita delicti veritas, & Reip. utilitas. Sicut etiam contra vera objiciēt, actio ad palinodiam intendi nequit. Sande *Lib. 5. Deiſ. Frisic. Tit. 8. def. 7.* cum absurdum sit illum, qui vera dixit id revocare, & mendacem factare debere. Berlich. *p. 5. Concl. 62. n. 23. & seq.* Groenwegen de *LL. abrog.* *ad noſtr. L. 18.* Hugo Grot. *in Introduct. ad Jus Holland. lib. 3. part. 36. n. 6.* ibi: Indien het aengeseydē niet en waer jegens de Waerheyt, maar allen onbghoorlike voort-gebracht, soou soude den Laſterer, met de bekondēnisse van qualick daer an gedaen te hebben behooren te volstaen.


*In teneatur  
ad palino-  
diam?*


SOLI DEO GLORIA.

01 A 6615



R 1000





16

*J. N. J.*  
**DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
VERITATE  
CONVICII,  
*Ad*  
*L. Eum qui nocentem 18. pr.  
ff. d. Injur.  
Quam  
FAVENTE SVMMO NVMINE  
Consentiente  
MAGNIFICO JCTORUM ORDINE  
IN  
ILLUSTRI VIADRINA  
PRÆSIDE  
Dn. JOACHIMO HOPPIO,  
J. U. LIC.  
IN AUDITORIO ICTORUM  
ANNO. MDCLXXXI. D. MAJ.  
HORIS CONSVENTIS  
PLACIDÆ ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT,  
AUTOR  
JOACHIMUS *S*tingraff/  
CLEEZ. MARCH.***

*FRANCOFURTI AD VIADRUM,  
Typis CHRISTOPH. ANDREI ZEITLERI ACAD. TYPOGR. 1712.*